



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BARENENSIS**\*NOVA PROVINCIAE  
ECCLESIASTICAE BARENENSIS RECOGNITIO

Qui Beatissimo Petro in Ecclesiae regimen Dei consilio successimus, non modo in id vires Nostras intendimus omnes, ut doctrina sancta populos pascamus (ait enim Dominus sic ut principi Apostolo illi, ita et Nobis : « Pasce agnos meos . . . pasce oves meas » *Io.* 21, 15-17) sed etiam ut per aptam finium Ecclesiarum dispositionem Venerabilium Fratrum Episcoporum commodis, fidelium utilitatibus provideamus, quibus in omnibus prodesse annitimur. Qua re, cum Venerabiles Fratres Nostri pastoralis regionis Apuliae Antistites, normis Decreti sacrosancti Concilii Vaticani II « Christus Dominus », n. 40, obsequentes, deque fidelium suorum bono solliciti, ab hac Apostolica Sede postulaverint ut ecclesiasticae Provinciae Barenensis fines opportune recognoscerentur, Nos id rati posse in eius Ecclesiae cedere bonum, ea quae sequuntur decernimus. Circumscriptiones ecclesiasticas, quae finibus civilis provinciae Barenensis continentur, hactenus Apostolicae Sedi recto subiectas, Provinciae ecclesiasticae Barenensi aggregamus, cuius archiepiscopo Metropolitanae ad iuris normam subicientur; Provinciam vero Tranensem extinguimus. Qua re metropolitana Ecclesia Barenensis his coalescet suffraganeis Ecclesiis : Conversanensi, Rubensi et Bituntina, Tranensi et Barolensi, neque quidquam immutetur de earundem archiepiscopali dignitate, Vigiliensi et Andriensi, hucusque Tranensi Sedi suffraganeis, Gravinensi, Melphictensi, Iuvenacensi, Terlitiensi, Monopolitana ; et Praelaturis Altamurensi et Aquavivensi, modo Sanctae Sedi immediate subiectis. Haec vero Venerabilis Frater Marianus Magrassi, Archiepiscopus Barenensis, ad exitum deducet, factis nempe ad id facultatibus necessariis, quas alii legare poterit, si visum, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto. Re vero acta, documenta exarentur, atque ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

SEBASTIANUS Card. BAGGIO  
*S. Congr. pro Episc. Praefectus*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost. s.n.*

---

\*A.A.S., vol. LXXII (1980), n. 9, pp. 1232-1233

© Copyright 1980- Libreria Editrice Vaticana

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana